



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

363. Sabbato. Dominica 3. Adventûs. De bono libertatis, & primo actu  
meritorio D. Jesv.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

## MEDITATIO CCCLXIII.

Sabbato Domin. 3. Adventus.

*De bono libertatis & primo actu meri-  
torio D. IESV.*Aspiciam D. IESVM se Patri pro nobis  
offerentem. Petam eum imitari.

*Conf. I.* Quomodo D. IESVS videns se  
esse divinum, & unitatem Personæ assum-  
ptum verum & naturalem Filium Dei, vidit  
se Caput hominum & Angelorū, omnis-  
que creaturæ Dominum, vidit se gratiā &  
sanctitate infinitā plenum, ideoque ab o-  
mni labe immunem, omni virtute, omni  
potentiā, omni potestate, immensā gloriā, &  
cara visione Dei beatum: Propterea Patrem  
ardentissimo amore dilexit, a quo tanta bona  
sine meritis prævijs acceperat, eidem arden-  
tissimas gratias egit, coram eo se humillimè  
dejecit, tanquam, qui ex se ipso nihil esset,  
nihilque haberet. Pater autem lætus dixerit:  
Filius meus es tu, ego hodie genui te, deinde  
contemderit statum miserum humanum, Ju-  
diciam suam offensam, addideritque, ut in  
gratitudinis vicem homines redimeret. Ad  
quod de injurijs Patris ipse vehementissimè  
indolens, nosque intuitus, ardentissimo est  
amore complexus, arque Patri se pro nobis  
obtulit. Ad Hebr. 10. Nam Christus, ut pec-

EL

cara

MEDI

cata auferret, veniens, & ingrediens mundum, per suam Incarnationem dicit DEO Patri: *hostiam*, scilicet, cruentam hircorum atque taurorum, & *oblationem*, scilicet, incruentam Vini, Panis, Olei noluisti, o Pater; corpus autem adaptasti mihi, quod tibi in Sacrificium pro peccato offeram, *holocaustomata non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio*, quia vidi legis Sacrificia non placere, nec illis placari te posse, ideo me ipsum assumpto corpore, quod mihi adaptasti, paratum obtuli ad faciendam voluntatem tuam, quia in summa, in capite libri scriptum est de me, *ut faciam Deus voluntatem tuam*. Petam, quod meum est negligere, quod Dei semper respicere, exemplo Christi.

*Conf. 2.* Quomodo in primo Incarnationis puncto habuerit actum meritorium oblationis sui, quam cōtinuauit usque ad mortem sine ulla intermissione, & quidem sibi ineffabilia bona, nobis verò primam gratiā, remissionem peccatorum, gloriam, dispositionem ad eam, & omne auxilium sufficienter, augmentum gloriae, remissionem poenae temporalis, meritus est. Ipsa denique efficax praedestinatorum dilectio in Christi merita referri debet.

*Conf. 3.* Una ex maximis gratijs viatorum, & perfectionibus est, posse mereri aeterna, quod

*Dominica 4. Adventus. 651*

quod donū habet omnis Viator gratus Deo,  
obediens, & ex gratia ejus studiosè ope-  
rans propter ipsum: quia ad meritum necesse  
est, rem esse honestam, actum liberum, per-  
sonam Deo gratam, & pactum cum Deo, es-  
seque viatorem. Gratias agam pro tanto  
beneficio, & petam auxilia eo utendi, omnia-  
que purissimā intentione agendi.

MEDITATIO CCCLXIV.

*Dominica 4. Adventus.*

*De exuendis imperfectionibus.*

Audiam D. Joannem exhortantem omnes,  
ut parent viam Domini. Petam id intel-  
ligere & exequi.

1. Debeo fugere omne peccatum etiam  
minimum, ut nullum sciens, volens com-  
mittam.

2. Ejicere memoriā omnem creaturam,  
& necessariam congruo tempore, loco, cum  
libertate spiritūs admittere.

3. Sensus custodire à vanitate, & otiositate.

4. Corpus servare in simplicitate, sola ne-  
cessaria, ex recta intentione Deo placendi  
vivendo in Sobrietate, Paupertate, Castitate.

5. Abjicere familiaritates, adhesiones ad  
loca, officia.

6. Vigilare supra opera mea, ne in occa-  
siones labendi incidam.

ER 2 *Ompi.*